



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

De officio assumendo ab advena.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

30. Quinta quaestio. Quid fiet, si contra quis hodie recitavit de festo, quod debebat, aliquid ex diebus sequentibus recitare? Respond. vel die illo sequenti iterum recitet de festo: quod puto probabiliter cum Quintan. *ibid. sing. 5.* vel dicto die sequenti recitet (sed privatim) illud Officium, quod deberet recitari si festum non esset, quod certe non est improbabile cum eodem *ibid.* Ratio prioris est, quia festum possidet proprium Officium eod. die, ergo non debet omitti propter errorem ante factum de praecedenti. Adde absolum esse, dum omnes eo tempore recitant de Sancto, te de Feria, vel simplici recitare. Ratio posterioris est, quia institutum est, bis de eodem Sancto idem Officium recitari, multo magis, quam jam Sanctis factum est satis per illam veluti anticipatam solutionem. Unde licet Sanctus possideat contra alios, non tamen contra me, qui jam solvi: & licet sit absolum, si hoc fiat in Choro, vel Missa, ubi sic fieri certe negandum est, non est absolum, si fiat privatim.

31. Sexta quaestio, hodie per oblivionem Sacerdos recitavit Vesperas, vel Matutinum cum Laudibus diversum ab eo, quod legitime erat recitandum est, v.g. erat recitandum de duplici, recitavit de feria, vel de alio duplici, quid melius faciet, prosequeturne Officium inceptum per errorem, an recitabit reliquum Officij diei sequentis, omisso Matutino, quod legitime recitare debuerat? Respondeo. Licet optabile sit, ut repetat, quod erravit, tamen non obligatur, ut ex dictis *supra* constare potest: satis autem erit si solum recitet reliquum de Officio proprio, quod currit; Ratio est, quia, ubi comprehenditur error, ibi corrigendus est: non obligatur autem repetere illud Matutinum, quod erat recitandum, quia bona fides eum excusat: eo, vel maxime, quod per acquiescentiam pensum jam solvit. Aliquis ita forte esse iudicabit Sacerdotem hunc posse prosequi quod reliquum est Officij, recitando hoc congruentes Matutinum, & Laudibus, quamvis per errorem recitatis, quia maior pars debet utihere ad se minorem: Ita idem *ibid. n. 4.* sed non assentior, quia id esset velle errorem approbare. Adde semper meliorem debere esse conditionem possidentis: at nunc possidet jus officij huius diei, non alterius à te per errorem recitata.

32. Septima quaestio. Dixi in *opusculo de Sac. Mis. lib. 2. c. 6. §. 1. n. 7.* congruentius Capellano Monialium esse, si Missam in Ecclesia Monasterii celebret de Sancto, quem Moniales forte propter suum ritum proprium celebrant (sed ex Missali proprio; quo ipse legitime utitur): quia se concordem reddere debet cum solemnitate earum, quibus inservit. Jam quid de Officio? potestne & domi Officium privatim de ejusmodi Sancto recitare?

Respondeo. Iudico satis probabile cum Quintan. *tr. 8. sing. 7.* posse cum suo Breviario proprio; ratio est, quia connexorum, seu correlativorum, idem est iudicium, si ergo potest Missam, poterit & Officium, & iure quidem, quia hic equiparatur Beneficiario, qui potest ex sententia aliquorum, cum eodem *ibid. sing. 8.* immo ex aliorum sententia cum Azor. Regina aliisque apud eundem *ibid.* obligatur recitare Officium Ecclesiae in qua habet beneficium, in quocunque ipse tandem loco resideat: cum ergo Capellanus Monialium sit additus servitio Ecclesiae illarum, congruum est, ut juxta illas oret in iis, in quibus expressè non prohibetur, ubicunque ipse resideat: Cum igitur non prohibetur, quoad conformitatem Officij, prohibetur verò à Pio V. in Bulla initio Missalis primò sita, quoad diversitatem Breviarij, illud poterit, non autem hoc.

De mutatione Officij proprii ritus in alienum.

33. Certum mihi est in gravem culpam eum prolabi, qui obstrictus recitare more Romano, recitet etiam pro uno tantum die, more peculiaris Ecclesiae, verb. gratia, Mediolanensis. Ita Cast. Pal. *l. 2. tr. 7. d. 2. p. 2. n. 2.* Ratio est, quia Pius V. *Quod à nobis*, expressè edicit eum, qui suae Ecclesiae orandi formam non custodit, praeccepto non satisfactorum: at praeccepto non satisfacere

vel per unum diem, materia gravis est. Contra verò, obstrictum orare more suae peculiaris Ecclesiae non puto peccaturum, si nulla praemissa licentia uno vel altero die, Roma totum est privatim oret. Ita Sà, Caiet. Suar. Bon. Lall. apud eundem Castro Palas *num. 3.* quia tunc conformiter reddit Romana Ecclesiae omnium Matris, id quod placet Pontifici merito praesumimus; consentium autem Episcopi atque Capituli ad ejusmodi mutationem solum pro Choro à Pio Quinto *loc. cit.* requiri, vel saltem pro usurpatione perpetua, non improbabiler asserimus. Excipe, nisi forte obstat praecceptum Superioris. Certe sic obstitit Mediolanensibus Clericis Sancti Caroli lex, qui praecceptum suis imposuit, ne alio quàm Ambrosiano Officio uterentur: potuit enim Sanctissimus Vir id praecipere, quia sic obsecutus est voluntati Pij tanti relictis moribus Ecclesiarum annis ducentis antiquiores.

34. Dictum est autem (uno, vel altero die) ut tutissimam opinionem proponerem; nam ceterum adhuc benignius loquitur Sà *vi. Hor. Canonum. 6. in utraque editione, tum genuina, tum expurgata*, absolute scilicet concedens extra Chorum posse quempiam dicere Officium Romanum. Probabiliter quidem: nam Pius Quintus dum dicit: *Quibus inveteratum illud ius psallendi suum Officium non adimimus*, videtur concedere privilegium: privilegio autem utimur, quando volumus: merito autem deinde item Pius Quintus jubet pro Choro adhibendam esse praedictam licentiam, quia ad publicam mutationem publicum accedere consensum omnino deest.

35. Quaeres. Licetne Episcopo suis subditis, vel Praelato suis Religiosis concedere licentiam recitandi privatim Officium in alio ex praedictis ritibus? Respondet Tancred. *de Rel. tract. 3. lib. 4. d. 11. num. 7.* probabile esse licere, ita tamen, ut quando fit dispensatio, per quam commutetur Officium proprii ritus Religionis, vel Diocesis in Romanum, minor causa exigatur, quia tunc fit conformatio, ut dictum est, cum iure communi, id quod etiam sine licentia posse privatim fieri, modo nos probabiliter insinuavimus: ad hoc autem, ut Romanum Breviarium mutetur in alienum major causa requiritur, alias esset nulla. Sic Tancreda ex mente, ut ait Suarj. Equidem approbo illius prius dictum; hoc posterius in quo supponit posse Praelatum Papa inferiorum, licentiam concedere mutandi Breviarium Romanum in alienum, mihi difficile redditur, quia Pius Quintus prohibuit ejusmodi ritus alienos à Breviario Romano, solum concessit iis, qui ante ducentos annos eos ritus usurpaverunt: At Praelatus inferior non potest ire contra Leges Pontificis, praesertim in re extraordinaria, qualis haec sine dubio est. Ita Castro Pal. alios citans *lib. 1. tract. 3. d. 6. p. 4. n. 8.*

Octava Difficultas.

De Officio assumendo ab alieno.

36. Cui ex beneficio preces Romanas recitandi conus est, si forte is donum cilium transferat, verb. grat. Mediolanum, fiatque Ambrosianum, Ambrosianum ei Officium indico, quia jam illius Ecclesiae Clericus effectus est: Ita idem *l. 2. tract. 7. d. 2. p. 2. num. 5.* Non tamen puto improbabile, posse Romanas preces retinere, quia ratione beneficii, quod ab eodem retineri suppono, Romanus Clericus esse non definit. Quod si Mediolani per parvam moram addit, non posse Ambrosianorum more psallere, docet Castro Palas *ibid.* quia licet Peregrino, ut alias diximus, liceat, si velit, leges sectari loci, falsè id tamen, quando aliquid obstat, ut quando privilegium quodpiam restringitur pro iis signatis, qui permanent alicubi habitant: tale autem esse hoc privilegium de recitando Officio peculiari, diversòque à Romano, habetur in relata Pij Quinti Constitutione. Nihilominus puto posse, quia non invenio ejusmodi

modi restrictionem. Ecce Pij V. verba, hoc privilegium
modi gentis: Illis tamen exceptis? que ab ipsi prima insti-
tutione a Sede Apostolica approbata, vel cum Iurisdic-
tione ipsius in ducentos annos, necesse est, aliis certis Bre-
vitatibus usque confusis: in quibus incontinentim illud jus
habeat & pascendi suum Officium non admittimus. Adver-
tendum est nullum quidem addit verbum, quod tam indi-
cat restrictionem; concedit nulli illis, sed non addit, quod
non habent, vel quid simile.

37. Præterea, si Mediolenensis ex Beneficid obligatus
fuit Ambrosiano, peccati, mutans domicilium, Roma-
num fiat, Romano Officio utatur necessariò: ita idem
si quis, jam ex Clericis Romanis, licet probabili-
tatem sit, si retineat beneficium, posse suum Ambrosi-
anum retinere, quia ratione beneficii, ut modò dictum
est, non desinit esse civis Mediolenensis, unde & possit
ad Episcopum Mediolenensem ordinibus initiari. Confirmo,
quia Officium consequitur ad Ordines Sacros si ergo
hinc conceditur ordinari ab Episcopo Mediolenensi, vi-
detur concedi & accessorium, quod est, more Mediola-
nensi orare posse.

38 Quid, si est beneficiarius Mediolanensis obiter lo-
mum Romæ affuerit? Respondeo, posse tum Romam
precari, locum non asstringi. Ratio est, quia, ut toties af-
fuerimus, advena potest, licet non teneatur loci reges ad-
mittere. Dices, at obstat statutum S. Caroli num. 33. *spit.*
allatum. Oblat secundò paritas; nam Dominicanus,
perpetua gratia, siue permanenti, siue per transfinitum ali-
cuius modum faciat, semper Dominicum tum ritum custo-
diens ex necessitate, ergo pariter suum custodiat Ambro-
sianus. Respondeo ad primum, Statuta Diœcesana quale
fuit illud S. Caroli. extra territorium nihil obtinent vir-
tute. Ad secundum, nego adesse paritatem. Nam Domi-
nicanus, similisque Religiosus ex vi voti, & professio-
nis suæ obligantur ad proprium ritum, quod obligatio
oblique ex comitatur, cum Religiosi Diœcesim fixam
non habent; At Mediolanensis Clericus non obligatur
ex vi Statuti Diœcesani, quod, ut dictum est, extra
territorium vim non habet.

39. Denique, quando Sacerdos Beneficiatus non est, si aliò domicilium transferat, ejus Ecclesiæ Officium assumere debet. Si autem in loco obiter sit, potest, sed non debet, quia peregrinus potest, sed non obligatur conformare se legibus loci.

Putavit quidam recentior hunc Sacerdotem obligari, atque ad hoc, si Sacerdos alieni ritus à Romapo, verbi gratia, Mediolanensis, etiam per parvam motam Romam, verbi gratia, fieri debet Romanum Breviarium sequi. Quia, inquit, privilegium propriis ritus ac in re est affirmatum loco, et territorio Mediolanensi, non ergo alibi. Hæc ille. Sed certe, cur non dicam esse privilegium Ecclesie formaliter; atque ad hoc totum loco, tum multo magis Clericis Mediolanensibus Ecclesiam illam committimus?

Relege Pij V. Bullam, illud privilegium siue conce-
denti, siue permittenti, eam enim solius loci affixionem
Bulla continere nequaquam videtur.

§. III. De modo recitandi Officium.

VT Officium studiosè, & devotè recitetur juxta
cap. Dolentes, de celebratione Missarum, sex con-
ditiones sunt observandæ: ut nimirum recitetur cum at-
tentione debita, cum debita intentione, sine omissione
verborum, sine eorumdem mutilatione, sine interrup-
tione, sine Ordinis inversione.

De attentione, & intentione debita, Remissive.

2. De his egi per aliam occasionem, *Opus. de Sacr. Missa, lib. 2. cap. 3.* vide etiam *infra, lib. 4 c. 3. §. 1. num. 9.* Illuc, ne eadem cogar repetere, Lectorem meum remitto. De attentione, qua caret, qui semidormiens recitat, dicam mox *num. 19.*

Part I.

3. Illud hinc de intentione est addendum, te satisfacere præcepto, si Horas recites animo non satisfaciendi. Ita Castro Palr. l. r. s. d. i. de legibus p. 17 n. 11. Ratio est, quia probabilissimum iudicamus satis observari præceptum, etiam si nec animo, dummodo res præcepta exhibeatur, siquidem jam ponitur totum, quod præcipitur: præcipitur enim jejunium, v. g. in Quadragesima, non verò animus satisfaciendi. Tegetis tamen tempore præcepti ab hoc animo cessare, & velle te obedire præcepto, secus enim præceptum ipsum voluntate violares, unde & peccares. Intervit nihilominus allata doctrina ad non repetendum opus, cum solum necesse sit, ut mutetur intentio, siquidem adhuc est in termino satisfaciendi, ut dicitur lib. 4. cap. 2. §. 1 n. 18. clem. de Missa.

Sicut etiam, ne incidat in poenas, v.g. in excommu-
 nicationem fortè fulminatam contra non facientes il-
 lud opus, jam enim fecit, licet sine intentione. Castro P.
 de verat. d. 2. p. 3. Sanch. l. 1. in Decal. cap. 13. n. 9.

Sine omissione verborum & mutilatione syllabarum.

4. Omnia Officii verba debere promentari, atque esse mortale ea negligere, five extra Chorum, five intra, nisi excuset materia parvas, omnes docemus; æque autem excusari puto propter parvitatem materie, intra Chorum, atque extra: quia eadem est ratio utrobique. Scandalum autem intra Chorum, si relinquantur solum aliquæ verba, vix adee unquam video: Fideles enim ad hæc, & similia munitura non attendunt.

Qua voce ea privatim pronuntianda sunt, dixi *Opusc.*
de Sacr. lib. 2. cap. 9. §. 2. in Choro autem, mox *num. 15.*
dicam.

5. Hic ergo tanquam in proprio loco sic proponitur sequens difficultas : Sacerdos quodam ita Psalmum percurrebat, ut proferret initium versuum, & finem, sed præcipite quodam cursu verba intermedia vix, seu ne vix quidem proferrebat. Inquit; etiam in peccato reus erat?

6. Dico, si in Versuum notabili quantitate id voluntarie præsterit, deliquisse mortaliter, quia notabilis Officii partem omisit: si in modica, propter materiam levitatem, venialiter. Dico (voluntarie) nãm propter inadvertentiam, vel linguam balbutientem, & non raro etiam propter inveteratam consuetudinem, quam non valeat quis sine magna difficultate tunc corrigere, excusari aliquem posse, docet Lessius lib. 2. cap. 37. d. 10. num. 56.

7. Syllabas verborum abscindere, malum quidem est: Sed quandoquidem verbum, licet diminutè, jam profer-
tur, regulariter non esse mortale, notat Bonacina *tom. 1.*
diq. 1. de Horis Can. quest. 3. p. 2. §. 1. n. 4.

8. Huc facit error eorum, qui; quando cum socio
• adjuvante Pfalmos percunt, ita festinato præoc-
• cupant, ut nondum absoluto socii Vericulo, ipsi suum
aggrediantur.

Graviter hic peccant, si in notabili quantitate versuum id præstent, ita Azor. Tolle. Fill. apud Bonac. *h. c. §. 1. m. 4.* quia, tunc ex praxi Ecclesiæ censetur quis recitare totum Officium, licet ejus partem recitet socius, quando, illo partem non recitante, eandem recitat socius, ipse, verò eandem audiat, sic enim, sit utriusque Oratio utriusque communis: cum igitur id in casu dicto non observetur, non reputabitur totum Officium perfolvi. Nisi sic doceremus, liceret dimidiam partem Officii canere, aliam dimidiam eodem tempore canente socio, quod esset præceptum Ecclesiæ notabiliter eludere.

Illud noto, in bene moratis Sacerdotibus difficulter hanc præoccupationem esse mortalem, quia semper levis est, & solū in aliquibus initiis versiculorū fieri contingit,

De dubitante, an omiserit aliquam Psalmum.

9. In superioribus, libro primo, cap. 3. §. 7. verbo
Hoc Canonice innuit ad quid obstringendus sit is, qui
H dubitat